



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXIX. Gregorii Papae I. Ad Andream Illvstrem De Dibiria.
Transmittit clauem a corpore sancti Petri, & de catenis eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

nam fecisse, vt virum beatissimum domnum Anastasium patriarcham concessio vsu pallii ad beati Petri apostolorum principis limina mecum celebraturum solennia Missarum transmittere debuissent: quatenus si ei ad sedem suam minime reuertiliceret, saltem mecum in honore suo viueret. Sed quæ causa contigerit vt eadem scripta retinerem, præsentium lator vobis innotescet. Eiusdem tamen domni Anastasii animum cognoscite, & quidquid ei de hac re placuerit, vestris mihi epistolis indicate.

EPISTOLA XXVIII.
GREGORII PAPÆ I.

AD ARISTOBOLVM EXPRÆFECTVM ET ANTIGRAPHVM.

De expositione epistolarum suarum.

Gregorius Aristobolo expræfecto & antigrapho.

AD explendum affectum meum, fateor, lingua non sufficit: sed quidquid de vobis sentio, vester vobis melius affectus dicit. Quibusdam vero vos aduersitatibus laborare audiui. Sed non hac de re valde contristor, quia plerumque naus, quæ peruenire ad altas pelagi tempestates per prosperitatem poterat, in ipso nauigationis initio vento aduersante repellitur, sed ad portum repulsa reuocatur. Præterea si prolixam epistolam ad interpretandum accipere fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferte: quia plerumque, dum proprietas verborum attenditur, sensuum virtus amittitur.

EPISTOLA XXIX.
GREGORII PAPÆ I.

AD ANDREAM ILLVSTREM DE DIBIRIA.

Transmittit clauem a corpore sancti Petri,
& de catenis eius.

Gregorius Andreae illustri de Dibiria.

OMNIPOTENS Deus dulcissimo cordi vestro indicet, quia & absens corpore a caritate vestra animo non recessi. Bona enim vestra, etiam si volo, obliuisci non valeo. Hoc autem quod ad me episcopatus ordinem cognoscitis peruenisse, si me diligitis, plangite, quia hic

Concil. Tom. 13.

Bb

huius mundi tantæ occupationes sunt, vt per episcopatus ordinem pene ab amore Dei me videam esse separatum. Quod incessanter defleo, atque vt pro me Dominum exoretis rogo. Præterea, sanctissimam clauem a sancti Petri apostoli corpore vobis transmissi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare: nam etiam de eius catenis interius habet. Eadem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent.

EPISTOLA XXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EXCONSVLEM.

Clauem sancti Petri & de catenis eius transmittit.

Gregorius Ioanni exconsuli atque patricio & quæstori.

Ioan. diac.
libro 1. cap.
51.

BONA excellentiæ vestræ expertus, tanto erga vos amore constringor, vt vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenus possit. Sed contra amorem non modice contristor, quia quietem me quærere cognouistis, & ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo fecistis, bona æterna retribuat: sed me a tanto loci huius periculo qualiter voluerit absoluat. Quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Longobardorum episcopus factus sum, quorû synthesiæ spathæ sunt, & gratia poena. Ecce vbi me patrociniæ vestra perduxerunt. Gemo quotidie, occupationibus pressus, & respirare non valeo. Sed vos, qui adhuc valetis, huius mundi occupationes fugite: quia quanto in eo quisque profecerit, tanto, vt video, ab amore Dei amplius decrescit. Præterea sanctissimam clauem a beati Petri apostolorum principis corpore vobis transmissi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare: nam etiam de eius catenis interius habet. Eadem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent.